



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

DISPUTATIO MÉDICA
INAUGURALIS,
DE HEPATITIDE.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES HORNE,

GRENADENSIS.

Ad diem 12. Sept. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCIJ,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

M DCC XCIX.



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

AUCTORE, JOANNE HORNE.

STRAGES luctuosa, quam haec affectio in regionibus calidis dat, medicorum attentionem meritò sibi vindicavit; eandem igitur, quippe qui, in regione calida natus sum, disputationis meae inauguralis argumentum selegi.

Hepatitis in acutam, et vetustam, distribuitur: illa sic a cel. Culleno concinnè definitur: “ Hy-
“ pochondrii dextri tensio et dolor, saepe pun-
“ gens, pleuritici instar, saepius obtusus; dolor

A

“ ad

“ ad claviculam et summum humeri dextri ; de-
 “ cubitus in sinistrum latus difficilis ; dyspnoea ;
 “ tussis sicca ; vomitus ; singultus.”

Hepatitis autem vetustae indicia multò ob-
 scuriora sunt, eademque sequenti caractere ab
 eodem auctore insignitur.

“ Haec saepe nulla quibus dignoscatur signa
 “ praebet ; aliquando tamen eandem adesse su-
 “ spicari potest, ex hepatitis causis quibusdam
 “ praegressis, ex sensu quodam plenitudinis et
 “ gravitatis in hypochondrio dextro, ex dolori-
 “ bus plus minusve pungentibus in eadem parte
 “ subinde perceptis, ex dolore quodam, a pressio-
 “ hypochondrio dextro, vel a decubitu in latus
 “ sinistrum, sentito, et denique ex pyrexia leviori
 “ cum dictis signis subinde infestante.” (a)

Morbi autem natura adeo est varia, et saepe
 quidem obscura, ut de signis, quibus ab aliis se-
 cernatur, uberiùs agere necesse sit. Quò hoc fiat,
 brevem utriusque mali speciei, seu formae, histo-
 riam trademus ; et deinde rem ulteriùs, ubi
 diagnosis agitabimus, fusiùs exequemur.

HISTORIA.

(a) Synop. Nosol. Method. p. 113. 114.

HISTORIA.

Hepatitis acuta plerumque a rigore, plus minusve gravi, incipit : hic autem adeo est interdum levis, ut vix percipiatur : eundemque ictus articularum frequens atque durus, calorque corporis auctus, brevi excipiunt. Haec indicia dolorem, hypochondrii plerumque dextri, plus minusve acutum, qui pleuritici instar, sub inspirationem intenditur, comitem habent : gravis simul vigilia, et delirium interdum, urgent ; tussis aliquando, plerumque sicca, interdum humida, adest : urina rubra, felle quasi tineta, parcius excernitur : aegerque in latus affectum facilius plerumque cubat : os et fauces arescunt ; lingua, quae crusta plerumque albicat, et cutis itidem arent : Sitis arget : et alvus usque eò interdum astringitur, ut quamvis fel solito uberius secernatur, quod ex vomitione biliosa liquida patet, non nisi medicamentis acrioribus nonnunquam moveatur. Signa jam tradita hepatitis acutam generaliter comitari solent ; eadem autem pro varia jecinoris parte

parte, quam inflammatio occupaverit, haud parum variantur ; quoties partem diaphragmati proximam afficit, respiratio tussi ficcâ et frequenti, difficultate, praesertim inter inspirandum, et dolore acuto, modò ad claviculam, et summum humeri dextri, modò ad alias thoracis partes, vibrato, turbatur ; ubi convexae hepatis parti infedit, ita ut in peritoneum diffundatur, tumor, dolorque pressu auctus, plus minusve plerumque percipiuntur ; quando verò inflammatio sedem in superficie concava figit, nausea, cum vomitione saepe biliosa, urget ; septum ipsum transversum denique tantâ interdum vi afficitur, ut hepaticus anteriora versus, qui corporis situs, quippe quo dolor levatur, solus ferri potest, arcus instar, flectatur ; spiritusque diro ac frequenti singultu simul interrumpatur. A cel. Swietenio quandam levioris hepatitidis varietatem, febres intermittentes nonnunquam comitari, cinchonaque corticem eâdem laborantibus nocere, accipimus. Aliam quidem morbi varietatem nobis tradidit Dr Crawford, in qua jecur nullo ejus alio vitio, ut cadaverum incisio docuit, existente, miram in

molem

molem, ambo hypochondria occupantem, et ad epigastrium descendentem excrevit. Idem auctor hanc mali varietatem acutam esse, fanguinisque detractione, et medicamentis catharticiis sanari, afferit. Iamque indices, quibus hepatitis acuta plerumque insignitur, ordine, quo ab optimis Auctoribus traduntur, breviter recensuimus: lugendum est autem eosdem adeo esse interdum obscuros, ut mali accessus, rerum etiam usu, peritos deludat. Hepatitidis autem vetustae accessus, et curriculum, quod dolosè ac lentè agit, multò adhuc obscuriora existunt: nulla enim aliquando indiciorum supra memoratorum vestigia exhibet; nec interdum nisi pure, aliisque inflammationis praegressae signis, in cadaveris incisione repertis, etiam extitisse invenitur. Hepatitis vetusta in Idiopathicam, seu quae ab alio nullo, et in Symptomaticam, quae, nimirum, ab alio morbo, oritur, distribui potest.

Hepatitidis vetustae Symptomaticae initio, hepaticus ventriculi, cibo praesertim sumpto, distentionem, plenitudinis sensum, inflationem, et ructum varium, praecipuè acidum conqueri solet.

folet. Cibi appetentia varia existit : aeger enim eundem aliàs fastidit, aliàs appetit ; et si fumat, omnia indicia ingravescent, et ventriculus adeò languet, ut cibum crudum, minimèque solutum, diutiùs retineat. Vultus notabilem simul mutationem subit : facies tumens fit, et lurido pallore foedatur ; oculi hebescent ; tunica eorundem conjunctiva dicta, colorem interdum flavidum, saepius autem solito obscuriorem, induit.

Indicia jam memorata comitem habent molestiae sensum, qui in regione epigastrica, et cordis scrobiculo nasci, et ad dextrum hypochondrium transvolare, videtur. Eundem aeger hallucinatus ventriculi affectionem male judicat : pressu intenditur, ad claviculam et summum humeri dextri usque transit, et saepe cum simili harum partium dolore alternatur. Arteriae nullam ferè interdum mutationem, digito percipiendam, subeunt : aliquando quidem praeter naturam tardè, vix autem unquam justo frequentius aut validius, micant. Interea spiritus difficilis fit, et suspiriis saepe interpellatur ; lassitudo, languor, nixus cujusvis fastidium, ingensque in somnum proclivitas, urgent ; somnus verò horrendis infom-

niis turbatur, nec miserum recreat. Animus est insigniter demissus; aeger, omnium oblectamentorum, quibus antea indulgere solebat, impatiens, solitudinem quaerit, miseriamque suam, ab hominum consortio semotus, plorat. Alvus per totum hepatitis symptomaticae cursum varia est, modò compressa, modò laxa: dejectiones sunt plerumque parcae, mucosae, et olidae: abdominis interea tensio atque tumor adsunt. Hepatitis idiopathicae vetustae initio alvus astricta est; malo autem inveterato, eodem ferè modo ac in symptomatica, affici solet. Lingua fit sicca, et villis obducta albescit. Cutis quoque arida, et quasi constricta, tactu duriuscula percipitur. Spirandi difficultas, plus minusve gravis, ab initio usque adest, et morbo crescente, et praesertim finem versus, augetur. Tussis simul sicca, rauca, atque sonora lateris dolorem intendit. Claviculae et summi humeri dextri affectio ante interdum existit, quàm lateris dolor sentitur; illa autem nonnunquam, nisi humero presso, percipi nequit. Gingivae itidem, ab initio usque, durities tactu percipi potest.

In hoc mali stadio, dolores aliàs obtusi, alias verò faeviter vellicantes, huc illuc transvolant; partibus simul, plus minusve tumidis ac duris, pressura intenduntur, et ponderis ac plenitudinis in hypochondriis, et epigastrio, sensu, comitantur. Hepaticus in neutrum jam latus sine molestia cubare potest: in dorsum igitur, quò dolores mitigentur, humeris et capite paululum elevatis, et dextrorsum leniter inclinatis, plerumque decumbit.

Anima, morbo huc usque provecto, difficiliùs recipiatur: et dolores, qui pneumoniam, quae cum hepatide interdum conjungitur, satis simulare solent, diversas thoracis partes afficiunt. Singultus autem et vomitio, quae acutâ hepatide laborantes exercent, rarò quidem adsunt.

Icteri quidem indices interdum, hydropis verò indicia, multò saepius, humorum circuitu hepatis mole ac duritie impedito, se comites jungunt.

Temperatura corporis sanguinea homines, prae caeteris, in hoc malum proclives existunt; nulli autem post pubertatem aetati, parcitur; si modò mali causis obijciantur. Quoad tempus,
quod

quod morbus durat, admodum quidem varium est: modo enim stadia sua diversa non nisi post longum tempus absolvit; modo verò febre Hecticâ, hepatis suppurationi superveniente, et praecipite alvi proluvie, quae vires subito exhauriunt, brevi in mortem desinit. Hepatitis vetusta interdum pyrexiae parum regularis, incertis intervallis redeuntis, comitantibus simul percussu arteriarum parvo, debili, et interdum abnormi, magnâ siti, et calore corporis intenso, invadit: quamvisque molestiae et caloris in hypochondriis dextris, et epigastrio, sensus eodem tempore sentitur, malum tamen eò quod eadem signa, aut ferè consimilia, alias quoque pyrexias comitantur, longiùs ante progredi solet quàm in suspicionem venit.

Auctores aliam hepatitis varietatem, Indiae montibus propriam, Anglice *Hill-Fever*, quae sinistrum hepatis lobum praecipuè afficit, et hydrargyro soli cedit, literis mandârunt. D. Melean, qui disputationem accuratam de hepatitide in lucem edidit, chirurgum Bombaiensem tria vidisse istius affectionis exempla, quae Asthmatis formâ invaserunt, et remediis, quae in hoc adhi-

beri solent, frustrà tentatis, tandem signis hepatitis apparentibus, hydrargyro debellata scribit.

Hepatitis vetusta in acutam interdum abire fertur, signorum mutatio, cui haec opinio innitur, modò tardè ac tacitè; modò verò subitò, fit: dubitari autem potest, num eadem pro hepatitide acuta, vel graviori hepatitis vetustae gradu, habenda sit. D. Girdlestone hepatitisem vetustam semper acutam concitare opinatur: hoc autem accuratissimorum auctorum, qui acutam saepenumèrò anteire, et in vetustam abire contendunt, experientiae repugnat. Dorsum et humeros hepaticis, interdum incurvari, et in partem anticam insigniter flecti, pectoris etiam formam haud parum mutari, et informem fieri, fertur.

Hepatitis modo supra tradito invadit, progreditur, et ad finem pervenit: cùmque vis, qua causae, sive predisponentès, sive occasionales, in corpore humano pollent, earundemque operandi modus, et aegrotantium ante morbum inchoatum conditio, adeo variantur, quare mali accessus, vis, progressus, signa, et finis, adeo in diversis hepaticis

paticis a se invicem discrepant, ut eadem signa nunquam in binis, nedum in pluribus, aegris, se ostendant, nemo quidem mirabitur.

MORBI TERMINATIONES

eadem ferè ac in aliis phlegmasiis, resolutio nimirum, suppuratio, schirrus, et gangraena, esse observantur.

Quoties hepatitis resolutione finitur, hoc aliquâ exinanitione copiosâ, putà, fellis dejectione, aut vomitione, sanguinis e naribus, aut vasis haemorrhoidalibus, profluvio; sudore totius corporis tepido, fluido, et ubere, viscidâ exsudatione e jecoris superficie, et interdum sputo copioso et libero, fieri solet.

Harum exinanitionum nulla saepius, aut felicùs, quam fellis, praesertim deorsum, morbo finem ponit: sanguinis enim hepate congestum proximè minuit, quo non praesentius inflammationis, five acutae, five vetustae, remedium existit. Eâdem fere ratione caeteraeque quoque exinanitiones prodesse videntur; sanguinis enim circumflui

flui massam minuendo, jecoris stimulationem tandem minui necesse est.

Quaeritur a Culleno num mucii sputa e bronchiis hepatitiden sanare valeat: rem. ita se habere cel: Saunders expertus asserit. Dubitari forsan potest, utrum morbus tollatur, necne, exsudatione viscidâ e superficie hepatis inflammata, quae in aliis etiam phlegmasiis causa adhesionis inter medicos satis nota existit. Ejusmodi autem exuvias acutam mali speciem plus minusve ferè semper comitari, verisimile quidem videtur; complures enim, qui ex eodem convaluerunt, in sinistrum latus difficiliùs cubare, et hypochondriorum dextrorum dolore sub quovis nisu repente affici, observatione constat: harum autem rerum ratio nullo alio modo, quam adhaesiones ponendo, reddi posse videtur. Sunt, ni fallor, qui calidarum regionum hepatitiden in schirrum vix abire, opinantur: cadaverum autem incisio hunc morbi finem demonstravit. Suppuratio hepatitidis terminus longè frequentior est: morbi tempus, quo contingit, ex variis rebus pendet; harum praecipua sunt varia pyrexiae, et inflammationis,

mationis, magnitudo, seu gradus, anni tempestas, et clima. Si pyrexia gravior fuerit, et paucos dies, plerumque triduum, seu quatrimum, viribus nil minutis, permanferit, fuppuratio, magnâ puris copiâ brevi formatâ, fupervenire folet. Quoties inflammatio faciei jecinoris convexae infidet, et latiùs in peritonaeum ferpit, tumor, et pòft paulò, fluctuatio percipiuntur, ita ut pus a chirurgo facile eliminari poffit.

Suppurato progrediente, rigores faepe sentiuntur, dolorque acutus in obtufum, faepe pulfatilem, et gravatum, mutatur.

Ubi malum concavam hepatis partem occupat, tumor et fluctuatio, multo rariùs, quam convexâ jecinoris facie affectâ, obfervantur; in omnibus autem fuppurationis exemplis, folita hujus indicia plerumque fe oftendunt. Praecipua fuppurationis figna funt doloris remiffio, hypochondrii dextri, praefertim dum in finiftrum latus cubatur, ponderis, et pulfationis fenus, rigores faepe iterati, febricula vefpertina, calor corporis auctus, fudor lentus, genarum rubor, alvi proluvies, et magna debilitas. Haec autem indicia haud femper apparent;

parent; hic lateris dolor, caeteraque signa pro-
pmodum remittunt, vel penitus cessant: suppu-
ratio interea tacitè progreditur, nec ullum antè
periculum imminere videtur, quàm abscessus ex-
trorsum tumens, vel febris lenta suppurato accen-
sa, mortem vitae arcem pulsare monent. In hu-
jusmodi exemplis medici, longo etiam rerum usu
periti, facilè in errorem incidunt: ab hoc autem,
animum ad sequentia advertendo, interdum ca-
veri potest. Si exinanitio aliqua doloris, aliorum-
que signorum, remissionem aut cessationem nec
praegreditur, neque comitatur; si vires sint ad-
modum fractae; si solitus oris nitor simul redire
non caeperit; si in sinistrum latus post doloris
cessationem aut insignem remissionem difficile cu-
batur; si ponderis et doloris sensus hanc cuban-
di difficultatem subsequuntur, aegrum in lubrico
versari judicare fas est: quantum enim cunquè
signa remiserint, imo quamvis penitus cessaverint,
suppurationem tamen subesse, vel saltem instare,
plerumque invenietur. Si signis jam memoratis
febricula quotidie sub noctem revertens adsit,
omne dubium tollitur. Nonnunquam verò ob-
veniunt

veniunt exempla, quibus nulla est nota, quâ medici judicium dirigatur : hic etiam num suppuratum subfit, vel ingruat, plerumque dijudicare valebimus, praecipiendo aegro ut in sinistrum latus cubans dormiat. Si dormiendo aliquandiu in hoc corporis situ, molestia, dolor, ponderis sensus, aliave signa, supra memoratis consimilia, supervenerint, suppurationem tacitam intus latitare, vel instare ritè colligitur. In dubiis hujusmodi exemplis hypochondriorum hominis in dorsum jacentis, femoribus simul, quo abdominis muscoli laxentur, elevatis, pressura adjuvabit : humeri quoque pressus eodem confert. Si dolor ex pressura nascatur suppuratio timenda est. Suppurationes tempore unum, plurave suppurata intra jecur formantur ; pusque per varias vias eliminatur ; modò per ductus biliosos ; modò, si pars inflammata vicinis fatis arctè non adhaerent, in abdominis cavum erumpit ; si autem adhaesio fatis firma fuerit, exitus e suppurationis sede pendebit : si haec sit facies hepatis convexa, et pars suppurata peritonaeo adnectatur, pus parietibus abdominis peresit, per hos foras exit ; ubi suppuratum

puratum septo transverso adhaerit, in thoracis cavum, vel in pulmonem ipsum, hinc nonnunquam exscreandum, viam sibi patefacit. Quoties inflammatio concavae hepatis parti infidet, pus pro diversa adhaesionis sede vel in ventriculum, seu intestina, erumpere potest. Quidem denique, eò quòd suppurationis indicia subitò interdum cessarunt, pus alio ex jecore delatum, aut repente absorptum una cum urina exinanitum esse, opinantur. Morbi eventus, suppuratione formatâ, est plerumque infelix; maximè si pus in abdominis, thoracisque cavum erumpat, aut vas aliquod magnum sanguinem per hepar vehens suppurato graviore rodatur; quod aliquando fieri dicitur. Si pus facile ad intestina transit, hepaticus, etiam post magnam debilitatem, marcorem, aliasque mali ominis notas, ad sanitatem non rarò reducitur. Gangraena morbi terminatio rariùs esse videtur; vix autem dubitari potest, quin eadem interdum hepatitidi, aliarum inflammationum instar, superveniat: cel. Saunders quosdam hepaticos, quibus dolor subitò cessavit, accidentibus simul percussu arteriarum parvo, tremulo,

mulo, et admodum frequenti, extremorum frigore, syncope, et paulo post, morte, vidisse se refert.

PHAENOMENA CADAVERUM INCISIONE REPERTA.

Hepatitis diram, non solum hepatis ipsi, sed etiam omnibus ferè abdominis visceribus, stragem dat; neque hic gradum sistit; saeva enim clades in septum transversum, et pulmonem ipsum erumpit.

Phaenomena, quae Morgagni, Bonetus, Lieutaud, alique clari, cadaverum exta inspiciendo invenerunt, sunt adeo varia, ut hujusmodi disputationem limitibus minimè comprehendi possint. Ubi de morbi historia et terminationibus supra jam egimus, hepatitiden in scirrhum, gangraenam, et suppurationem abire; pus in ventriculum, intestina, pulmonem, thoracis abdominisque cavum, viam sibi patefacere, et hydropem, ob sanguinis circuitum impeditum, supervenire narravimus. Mutationes, quas jecinoris moles et fabrica subeunt, verbis cel. Saunders, qui eosdem concinnè descripsit, citare mihi fas sit.

“ Dissections have often shewn an enlarged
“ and schirrous state of the liver ; and such a
“ variety in the appearances may be observed, as
“ to suggest the idea of different kinds of schir-
“ rus ; sometimes the liver is found obviously
“ smaller, and its shape changed ; the lower
“ edge, which is naturally thin, especially of the
“ left lobe, becomes rounded and gibbous, and
“ the colour, natural to this organ in its healthy
“ state, is lost, and it assumes an ash or clay co-
“ loured hue. If we cut into its substance, we
“ find uniformly a solid compact appearance, in-
“ terspersed with foramina, evidently the orifices
“ of divided vessels ; but if we compare the cut
“ surface of a diseased liver with that of a heal-
“ thy one, we observe a very sensible difference,
“ the latter being much more porous than the
“ former.”

“ The morbid and compact state, together
“ with the diminished bulk of this organ, lead
“ us at first view to suspect, that the diminished
“ size may be explained on the principle of con-
“ solidation of its substance ; or in other words,
“ that

“ that it has gained in compactness, what it has
 “ lost in external bulk. If this explanation
 “ were just and adequate, we should find the
 “ liver of its natural weight ; but observation
 “ has evinced, that together with the diminution
 “ of bulk, there is some degree of loss in its
 “ weight ; evidently proving, that a portion of
 “ its solid substance has been removed, and car-
 “ ried into the general mass, agreeable to a law of
 “ the absorbent system : but it is probable, that
 “ this diminution of substance is in different de-
 “ grees, according to the duration of the com-
 “ plaint ; in the more early stages of schirrous
 “ liver, its bulk is not sensibly diminished ; nay
 “ I am persuaded, that there is at this period an
 “ increase both of bulk and weight, but that
 “ afterwards there is a gradual diminution of
 “ both.”

Dr. Maclean quatuor hepaticorum, qui pus
 aliquamdiu excreârunt, historiam nobis tradidit :
 cadaveribus incisis, septum transversum, et pul-
 monem, suppuratis peresa, et bronchia pure,
 cum cruore commisto, infarcta, invenit : dexter
 pulmo

pulmo magnae diaphragmatis portioni, circa foramen erofum, quod erat trium quasi digitorum capax, adhaerebat; circa foramina exesa plures noduli duriusculi, scirrho instar, apparuerunt. Unius ex his exemplis, quocum pneumonia ab initio ferè conjuncta fuit, pulmo dexter firmè et latè adhaerebat; sinister vero laxè, et minusculae duntaxat parti adnectebatur; serique flavescens libra, aut circiter, in pericardio apparuit; huic porrò miserando sinister jecinoris lobus suppurabat; et sputa purulenta per duas ante mortem hebdomadas aderant; aliis simul boni omnis signis comitantibus; donec dextri lobi abscessus tandem in thoracis cavum erupit. His quatuor exemplis cystis fellea, bile praeter naturam viscidâ, tumebat; et convexa jecinoris superficies magnae diaphragmatis portioni adhaerebat: porrò in uno eorundem ren dexter hepatis adnexus erat: jecoris superficies modò naturalis, modò maculis lividis distincta, apparuit: omnibus diaphragmatis tendo foramine peresus inveniebatur

tur

tur; et hepar nonnullis exemplis omnibus ferè visceribus vicinis adhaerebat (a).

Cel. Morgagni sequentem hepaticae historiam, quae haud parum quibusdam morbi effectibus luminis offundit, literis mandavit.

“ Sexagenaria mulier diu queritur de dolore
 “ supra umbilicalem regionem, fitit, tuffit, ex-
 “ puit catarrhalem materiam : postremò difficilè
 “ respirat, paucisque ante mortem diebus repen-
 “ tè intumescit venter, oedemate pedes occupan-
 “ tur; tandem sensim, illo deficiente dolore, fit
 “ vivendi finis.”

Cadavere inciso, exta has species exhibuit.
 “ In ventre magnae limpidae aquae copia; nul-
 “ lum vasorum lymphaticorum vestigium; lien
 “ naturali duplo major. Hepar durum, cui an-
 “ nexa fellis vesicula plena erat calculis laeviga-
 “ tis: alia autem in parte vesicularum congeries
 “ hepatis inhaerens cernebatur. Intra substan-
 “ tiam autem ejusdem visceris, eam partem ver-
 “ fus, quae diaphragma spectabat, cavum absces-
 fus

(a) Differt. inaug. Edinburg. An. 1790.

“ fus inventum est, plus tertiâ jecinoris parte
 “ occupans : eruperat, diaphragmate perforato,
 “ materia abscessûs in dextrum thoracis caveam,
 “ quae tota sanioso pure plena erat : pulmo ta-
 “ men sanus fuit.”

Praeter species jam enumeratas, ductus et vesica fellis inflammationis signa clarè ostendunt ; mesenterii glandulae, praeter naturam durae et magnae, inveniuntur, his praesertim, qui hepaticide vetustâ cum dysenteriae indiciis conjunctâ moriuntur.

CAUSAE REMOTAE.

Qualis corporis conditio mortales in hunc morbum proclives reddit, nondum quidem satis intelligitur : medici autem accuratissimi, quibus optima morbum observandi occasio fuit, impuberes eodem rariùs affici consentiunt : robustos aetate florentes, et temperaturâ corporis sanguineâ praeditos, qui ex regionibus frigidis in orientis, occidentisque calidas migrant, hepaticidi acutae, prae aliis opportunos ; infirmos au-
 tem

tem et melancholicos, praesertim quibus corporis et animi vires luxu, tristitiâ aut morbis franguntur, in vetustam procliviores existere afferunt. Res unde haec corporis conditio oritur, *Causae Praedisponentes* vulgo appellantur; illae vero, quae proclivibus morbum concitant, *Occasionales*, seu *Excitantes*, nominari solent. Quamvis haec causarum divisio inter medicos passim increbuit et invaluit, limites autem accuratos inter easdem ponere difficillimum est; de eisdem igitur, illâ divisione ferè neglectâ, agemus.

Longa quidem harum causarum series enumerari solet: praecipuè autem videntur vis externa capiti, aut jecoris regioni, illata; frigus corpori praesertim calenti variis formis admotum; potus, nimirum, gelidi; frigidarium; aër frigidus et humor, sub dio pernoctantibus, aut humi dormientibus, aspirantes; intemperantia maximè ebriositas; graviores animi affectus; exercitatio corporis nimia; morbi praegressi, hepatitis, putà, vetusta; febres intermittentes; calculi ductibus felleis inhaerentes; hydrargyri abusus; solis radii; diaeta prava; et ante omnia regiones calidae.

De

De harum omnium causarum operandi modo figillatim, fusiùsque disputare, soliti hujusmodi opusculorum limites vetant. Cum autem hepatitis regionum frigidarum proles rarò existit; omnes ferè causae jam supra memoratae, si calidas regiones excipiamus, accensendae videntur: hoc non concessò, nulla ratio verisimilis reddi potest, quare regiones frigidae morbo ferè immunes sunt.

Utcunque fit; vix quidem negari potest, quin frigus, aliaeque caeli et terrae forsan qualitates, caloris actioni, qualiscunque demum illa habeatur, insigniter faveat: calorem enim Coromandelae et Bengalae oris idem fit licet, hepatitis tamen, testantibus Lind, aliisque idoneis auctoribus, longè frequentior est in illa, quàm in hac: hujus discriminis causa alia videtur esse nulla, quàm harum regionum aëris, et soli, diversitas; morbi enim tentationem magis ex magna et subita caloris mutatione, quàm ejusdem magnitudine, pendere experientia docuit: Sic quamvis calor intensior fuerit, at modo tamen stabilis fuerit, Europaei, si solis radiis defendantur, morbo rarò corripuntur:
solent:

solent: hinc in Bengala, ubi in navigiis tectis militatur, quò radii solares arceantur, et ubi commeatus quoque meliores sunt, morbus longè rariùs quàm in Coromandela invadit. Haec diversitas haud parum pendere potest ex majore coeli siccitate in Coromandelae littore, ubi venti calidi et ficci, qui immania arenae aequora, solis radiis ad perpendicularum torrefacta, verrunt, corporis superficiem usque eò exsiccant, ut cutis constringatur, corporis calor mirum in modum intendatur, et actio jecoris vasorum praeter naturam augeatur, quod ex sensu coloris dolente in eòdem percepto, et vomitu fellis, huic brevi superveniente, patet: si corpori sic affecto frigus aliquà aspiet, hepatitis acuta plerumque accenditur: sin minus eàdem causâ, caloris nimirum frigorisque vicissitudo, saepius iteratâ, totius corporis, et praesertim jecinoris vasorum, vires usque eò tandem frangit, ut hepatitis vetusta concitetur. Liquores inebriantes, spiritus praesertim ardentes, calori vi morbum concitandi proximi esse feruntur; quare verò calor et potionum me-

D

raciorum

raciorum abusus hepar, prae caeteris corporis visceribus afficiant, dicere non audeo.

CAUSA PROXIMA.

Hanc argumenti partem, quippe parum intellectam, astrictiùs agitabimus. Praecipuas opiniones in medium proferre satis habebimus. Cel. Boerhaavius sanguinis lentorem, partis inflammatae vascula obstruentem, praecipuam causae proximae partem existere opinatus est: hanc porro obstructionem in causa esse cur particulae sanguinis rubrae, a via solita et naturali aberrantes in vascula pellucida, vi a tergo impellerentur: indeque praecipuè inflammationis phaenomena, tumorem, nimirum, ruborem, tensionem, calorem, crustamque sanguinis detracti coriaceam, pendere, addidit. Hanc autem hypothesein falsis principiis inniti jam constat; tantum enim abest, ut sanguis in phlegmasiis lentior fiat, ut etiam solitò tenuior existat, crustaeque coriaceae ratio aliter feliciùs reddi potest.

Cel.

Cel. Cullenus, opinione Boerhaavianâ rejectâ, minuscularum et extremarum partis inflammatae arteriarum debilitatem, spasmumque eidem illatum pro causa proxima habuit. Arteriarum extremarum debilitatem, et spasmum, eò existere ponit, quòd omni ferè inflammationi gravi pyrexiaâ supervenit. Quòd si haec leviores inflammationes non comitetur, vel saltem adeo fit exigua, ut percipi nequeat, easdem tamen ex eadem vasculorum conditione oriri asserit. Hinc inflammationis phaenomena, tumorem, scilicet, ruborem, tensionem, et calorem, quos Boerhaavius sanguinis lentori, locique errori imputavit, Cullenus extremarum arteriarum debilitati, et spasmo, huic supervenienti, tribuit. “ The motion of the
 “ blood in the extreme vessels, inquit Cullenus,
 “ is so weak and slow, as readily to admit a re-
 “ trograde course of it; and therefore, if a par-
 “ ticle of blood should happen to enter a vessel
 “ whose branches will not allow of its passage, it
 “ will be moved backwards, till it meets with a
 “ vessel fit for transmitting it, and the frequent
 “ ramifications

“ ramifications and anastomoses of the extreme
 “ arteries are very favourable to this.*

At nihilo tamen minùs errorem loci incidere vir ingeniosus concedit; inflammationem autem inde rariùs provenire contendit; cùm autem spasmus, ut ipse asserit, sanguinis cursum per arterias extremas impedit, eadem, quae loci errori objicit, in ipsum jure retorqueri potuissent. Denique inflammationis phaenomena ejus de errore loci argumentis planè repugnant: nam in Ophthalmia, in qua signa ab initio clare conspici possunt; rubrae sanguinis particulae, pellucidas tunicae conjunctivae arterias, antea impervias, ingrediuntur, neque, quod oculorum argumento videmus, retrogradae fiunt. Si error loci perpetuus Ophthalmiae comes fit, eundem quamvis aliam inflammationem comitari jure colligi debere videtur. Alia superest hypothesis, quae quidem nil aliud est quam Culleni opinio aliquantulum mutata, mirumque in modum nuper torta a quibusdam semidoctis, qui praeruptum Scientiae

cacumen

(a) First Lines 241, et seq.

cacumen scandisse se simulant. Spasmo Culleni rejecto, debilitatis aut actionis diminutae doctrinam retinent. Primus, inquit, causarum remotarum effectus est arteriarum extremarum debilitas ; nullum autem ad hanc propositionem, hypotheseos suae basin, argumentum protulerunt. Nemo igitur debilitatem pro causa activae inflammationis proxima habere potest. Negare quidem nolumus quin inflammatio ex vasorum debilitate interdum oriatur ; haec autem penitus distat ab actuosa illa inflammatione, quae ex actione eorundem aucta, seu robore nimio pendet, et diversa remedia postulat. Inflammatio activa ni ipse tempestivè occurratur, tandem quidem in passivam definit, quae res hypotheseos istius furtivae origo esse videtur.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

Nondum adeo exculpta est medicina ut corporis sani, nedum morbidi, functiones intelligantur, haec igitur argumenti nostri pars manca necessariè erit.

Hypochondrii

Hypochondrii dextri tensio et dolor, morbo lobum hepatis dextrum plerumque occupanti tribuuntur; cùm autem causam mali proximam ignoramus, quàm ratione inflammatio dolorem affert, dicere non possumus.

Dolor ad claviculam et summum humeri dextri difficilè exponitur: alii eundem diaphragmatis inflammationi cum mediastino communicatae, et ad superiorem thoracis partem serpenti, tribuunt; alii verò a nescio quo nervorum nexu oriri putant: alii denique eundem consensui, qui inter omnes ejusdem corporis partes existit, imputare solent, ignorare autem me fateor.

Decubitus in latus sinistrum difficilis, dyspnoea, tussis, et singultus, non solùm ex inflammatione in diaphragma, pulmonem, pleuram, et hepatis tegumenta, diffusa, sed etiam, ex pondere, et plerumque mole ejusdem, auctis, proveniunt: dolor enim ligamentorum tensione; dyspnoea, descensu diaphragmatis impedito; tussisque et singultus ejusdem inflammatione et irritatione, necessariè orientur.

Vomitus

Vomitus saepius ex felle in duodenum copiosius interdum profuso, et in ventriculum, qui eodem ad nauseam et vomitionem stimulatur, delato; vel ex faciei jecinoris concavae inflammatione, quae interdum cum ipso ventriculo communicatur, pendere potest.

Ponderis et molis jecoris augmen oriri videtur, ex sanguinis fibra in telam cellulofam effusa et concreta, quae, ni vasis resorbentibus summoveatur, molem et pondus necessariè augebit.

Occasio hepatitidis vetustae frequentior ex sanguinis hepatici natura aliquatenus provenire potest: maxima enim pars sanguinis, qui per idem diffunditur, *hydrocarbonico* respiratione non purgatur, hincque minus forsan quàm purgatus arteriarum sanguis, stimulat.

DIAGNOSIS.

Affectiones quibus hepatitis intermisceri potest, sunt pneumonia, rheumatismus, gastritis, spastica coli affectio, et dyspepsia.

Quoties

Quoties hepatitis cum pneumonia non jungitur, ab hac dolore ad claviculam et summum humeri dextri, singultu, vomitu, tussi sicca, hypochondrii dextri dolore, dum in sinistrum latus difficilè simul cubatur, fatis facilè plerumque dignoscitur : porro pneumonia sedem suam altiùs in thorace figit ; cubatio in latus affectum difficilis est, tussis est plerumque humida, saepe cruenta, et multò molestior quam in hepatitide ; spiritus itidem multò difficilior est, dolorque latius diffunditur. Denique animum ad causas remotas advertendo haud parum adjuvabimur ; pneumonia enim idiopathica in utraque India rarò observatur : hepatitis contrà, in frigidis regionibus, nisi qui in calidis aliquandiu peregrinati fuerint, invadere non solet.

A gastride hepatitis facilè fecernitur ; in illa enim adsunt ardor et dolor ventriculi, pressu ingestisve quibuslibet aucti, pulsus exilis, durus, ac frequens, et debilitas insignis ; quae res in hepatitide admodum diversae sunt, ut ex morbi definitione patet.

Haud

Haud perinde facilè quidem a pneumonia distinguitur, ubi ista hepatis pars, quae costis veris admovetur, inflammatione afficitur; et haec in diaphragma diffunditur, ita ut thoracis cavum diminuatur; et spirandi difficultas, descensu septi transversi impedito, eadem ferè ac in pneumonia fit: hîc autem singultus urget, et tussis est plerumque sicca. Burserius, hâc difficultate urgente, monet, ut abdominis muscoli, aegro, genibus sursum elevatis, cubante, relaxentur; quo, pressu scrutemur num hepar inflammetur. Cùm autem hepatitis acuta eadem fere remedia, quae caeterae phlegmasiae, postulat, non est, cur de eorundem discrimine inveniendò solliciti agamur. Porro hepatitis acuta cum viscerum vicinorum inflammatione haud rarò conjungitur; tuncque diagnosis erit inutilis, et medicina promptior duntaxat opus est. Hepatitiden autem a dyspepsia, quâcum interdum confunditur, eò magni est quidem momenti, quòd diversa remedia requirunt: animum ad sequentia advertendo plerumque distingui possunt. In hepatitide vetusta vultus colore peculiari lurido tingitur; oculi he-

E

bescunt,

bescunt, et insigniter torpent; tunica eorundem *adnata* interdum flavida est; saepius verò solitò obscurior; facies est tumida. Aeger simul levem epigastrii dolorem, qui interdum ad hypochondria dextra transvolat, ructu levatur, ideoque ad ventriculum falsò refertur, saepe queritur. Si partes epigastrii vicinae leviter praemantur, notabilis saepe movetur dolor, qui ad claviculam et summum humeri dextri subitò nonnunquam transit, et saepe cum harum partium dolore alternatur: humeri et claviculae pressus partium circa epigastrium sitarum similem dolorem pariter excitat; summa est moestitia, et inexpugnabile aliquando somni desiderium; somnus autem est fugax, parum recreans, insomniisque turbatur. Haec indicia comites, vesperi praecipuè, habent calorem corporis auctum, frequentiores articularum percussus, aliasque pyrexiae indices, quae quibusdam hepaticis sanguine detractò mitigantur. Denique regionis in qua aeger vitam degit, ratio habeatur oportet.

PRO-

P R O G N O S I S.

Quò judicium de exitu feratur, antecedentia, morbi vis, et tempus, quod duraverit, aegri aetas, corporisque temperatura, animo diligenter agitanda sunt. Si vires luxu, morbis praegressis, longâve in regionibus calidis commoratione franguntur; malum est: in his enim, hepatitidis acutae cursus adeo praeceps est, ut etiam si vis morbi modica fit, nulla salutis spes fit, ni medicina initio, aut brevi post morbum natum, adhibeatur. Si haec serò paratur, morbus in supurationem, scirrhum, aut hepatitiden vetustam nunquam non definit.

Acutus hypochondriorum dolor, ad clavicularam et summum humeri transvolans, cum tussi sicca, singultu, delirio, spiritu difficili, calore corporis intenso, insigni alvi duritie, cutisque siccitate, aegrum, ni haec signa remediis tempestivè administratis brevi mitigentur, in praecipiti versari indicant. Si indicia autem graviora exinanitione aliquâ, five haec artis, five naturae,

turae, beneficio fiat, comite simul halitu totius corporis extremi fluido, et refrigeratorio, haud parum remiserint : bonum est : sin autem in vetustam abierint ; nec vires, neque oris color antea solitus, medicinâ idoneâ adhibitâ, redeant, est res mali ominis ; hîc enim scirrhus, aut suppuratio timenda. Si morbus a hepatitis vetustae signis inceperit ; et aeger idoneis remediis adhibitis, naturalem oris nitorem recuperet ; et peculiaris iste alvi excretionis foetor paulatim simul evanescat ; speciesque ejusdem nativa redeat ; bonum augurare licet.

Hepatitis acuta vetustâ plerumque periculiosior est ; si haec autem neglecta, aut longius producta fuerit ; non item : hic enim medicinae resistit ; pus utique formatur, et febris hectica, ingensque debilitas, exitium brevi afferunt. Rarò quidem reservantur, quibus suppuratio supervenit ; quoties pus in pulmonem, aut ventriculum erumpit, aeger plerumque tollitur ; hoc autem non semper fit ; non desunt enim quaedam hujusmodi hepaticorum exempla, qui revaluerunt. Si in hepatitis vetusta alvi excretio fo-

torem

torem peculiarem retinet, et fluida perstat; vel pus cum stercore commistum habeat, malum est: si pus in abdominis cavum erumpit; malum etiam: sed si suppuratum viam sibi per tegumenta communia perdat; aeger saepe a media quasi morte eripitur.

RATIO MEDENDI.

Cùm duae sunt hepatitis species, quarum altera ex nimio vasorum robore, seu actione, altera ex eorundem debilitate, aut actione diminuta, pendent, ut ex supra dictis, ubi de causa proxima, seu morbi pathologia egimus, facile patet; praecipua medendi consilia duo esse videntur. In hepatitis acuta, quæ ex nimio totius corporis, et praesertim hepatis, vasorum, vigore, seu actione pendet, praecipua remedia sunt regimen antiphlogisticum, sanguinis detractio, et vesicatoria; parum autem proficiunt, nisi initio, aut brevi post morbum inchoatum, audenter, et cautè simul, prout aegri vires, et signa postulaverint, adhibeantur: quousque, quibusve terminis finitis, usurpari

usurpari debent, medicus peritus, omnibus cujusque aegri rebus diligenter perpensis, judicare valebit. Regimen antiphlogisticum, diluentia, et refrigerantia, qualia sunt *citritis potassae*, seu haustus salinus diaphoreticus, potus gratus ex acido frugum nativo, citri, putà, aurantii, aquâ et saccharo paratus, in omni quidem hepatitis acuto exemplo prorsus necessaria sunt : sitim resinguunt ; calorem corporis nimium minuunt ; vires reficiunt ; somnumque sic conciliant. Nitrum quoque, et tartari crystalli, magnâ aquae copiâ soluti, eisdem consiliis haud malè accommodantur. Quoad sanguinis detrahendi quantitatem, nulla quidem regula generalis tradi potest : eadem autem, signorum magnitudine, seu gradu, morbi tempore, aegri aetate et viribus, et effectû in arteriarum percussum edito, regatur oportet. Nec ulla medicinae pars difficilior, quam hanc exinanitionem justis limitibus circumscribere ; et tempus quo iterari debet discernere.

Lugendam stragem, quam hepatitis, praesertim in regionibus calidis, ubi curriculum suum mirâ velocitate agit, ex hoc remedio neglecto, aut imtempestivè

intempestivè aut temerè, usurpato, profluxisse, inter omnes ferè jam consentitur : ni primo, secundo, aut saltem tertio morbi die adhibeatur, rarò prodest, nec rarò aegri exitum accelerat.

“ Eripit interdum ; modò dat medicina salutem.” *

Alvi purgatio vigori nimio cordis et arteriarum debellando optimè pariter infervit. Cathartica refrigeratoria mitiora primis praesertim morbi diebus, anteferenda videntur ; horum praecipua sunt soda tartarifata, soda phosphorata, soda vitriolata, potassa tartarifata, et infusum tamarindorum cum senna. Hi sales largâ aquae copiâ liquati peritiùs forsan dantur : hoc saltem modo administrati corpus plus refrigerant, rariùsque nauseam, aliosque sensus ingratos, quos interdum cient, ubi aqua est justò minor, movere solent.

Vesicatoria etiam eidem consilio absolvendo efficacissimè respondent : ineunte morbo, parti dolenti imponi, saepiusque aliis partibus, inflammationis sedi, quam proximè fieri potest, admota,

* Naso.

mota, iterari debent: plurium enim partium, visceri inflammato vicinarum, multò feliciùs quam unius duntaxat, exulcerationem, suppurationi timendae occurrere, experientia docuit. Vesicatoria acutam partium, quibus admoventur, inflammationem, earundem vasa supra sanitatis normam stimulando, movent: nimiâ autem hâc cutis vasorum actione fieri non potest, quin sanguinis fluxus partes sic ultra modum stimulas versus augeatur; ejusque congestus in hepate tollatur; quo fiet, ut hujus vasorum debilitas ante interdum praeveniat, quam inflammatio passiva, scirrhus, aut suppuratio, supervenerint.

Vesicatoriis autem exulcerantibus, cantharidum pars absorpta in sanguinem circumfluum vehitur, et acri interdum, praesertim in regionibus calidis organis urinae inservientibus stimulo est: nec rarò stranguriam, aliaque mala signa concitat; quo his malis occurratur, copiosus diluentium usus interea praecipiat. Denique medicamenta, quae cutis halitum movent, haud parum proficiunt; horum optima sunt vinum antimonii tartarifati, et antimonium calcareo-phosphoratum,

phosphoratum, dosibus leni cutis halitui movendo paribus data. Quoties hepatitis cum pneumonia conjungitur, aut sputis terminatura videtur, suppetias efficacissimè ferunt.

Tempestivo et perito horum remediorum usu illi jecinoris vasorum debilitati, quae suppurationi, scirrho, aliisque funestis morbi effectibus viam sternit, occurri potest. Cum autem medicina, ea qua opus est, ad hanc debilitatem praeveniendam, felicitate rarissimè exercetur, diathesi phlogisticâ debellatâ, modò nulla suppurationis indicia apparent, hydrargyrum, quo, ne debilitas in scirrhum abeat, torpidae venae portae actio cicatur, statim dari necesse est.

Hepatitis acutae in scirrhum proclivitas aliis exemplis alia est; modò levis, modò vero praecipua existit: hoc discrimen ex debilitatis magnitudine pendere videtur. Hinc hydrargyri copia diversis aegris necessaria admodum diversa est: aliis ad levem tantùm oris exulcerationem, aliis verò ad salivam leniter ciendam, et aliquamdiu sustinendam, dari necesse est. Quoad administrandi modum, fricatio a plerisque antefertur:

F hypochondria,

hypochondria, qua dolent, partesque vicinas, unguento fricandas medici plerumque curant. Sunt autem qui parum referre credunt, cuinam corporis parti affricetur, utrumve internè, vel externè, administretur; modò effectus idem in sanguinem circumfluum delatum esse monstrant. Quoties hepatitis suppuratione finitur, quod saepius quidem fit; labascentes aegri vires cinchonâ, vino generoso, et diaetâ nutriente, ut nulla salutem recuperandi fors omittatur, sustineri debent; si suppuratum extrorsum tumeat, cataplasmatibus calidis promoveatur, pusque, fluctuatione perceptâ, arte exinaniatur. Hepatitidi vetustae remedia maximè accommodata sunt, diaeta generosa concoctu facilis ex carne aromatibus condita praecipuè parata, vinum generosum, vetus Madeirense, aliudve, quod aegro magis arideat, modicè inter prandendum sumptum.

Cùm cerevisia tenuis in acorem plerumque ruit, potus ex aqua si ventriculi languor finat; sin minus, ex spiritu sacchari Jamaicensis eodem satis diluto constare debet. Caetera, praeter diaetam, remedia maximè idonea sunt hydrargyrum,

drargyrum, vesicatoria, roborantia, et opium. Eadem ferè praecepta, quae supra de hydrargyri, et vesicatoriorum administratione tradita sunt, in hepatitide itidem vetusta, observari debent: hoc autem interest, quòd in hac ptyalismus nunquam cieri, hydrargyrus subinde omitti, et idoneis intervallis, prout clinico videatur, repeti debeat. Hydrargyro, cui, diutiùs licèt administrato, malum interdum non cedit, acidum nitrosum, primò ab ingenioso domino Scott, Bombaiae, non sine fructu, tentatum, suppetias haud contemnendas ferre dicitur; in exemplis igitur, ubi hydrargyrus expectationem fallit, aut commodè administrari nequit, dignum videtur cujus experimentum fiat. Porro idem auctor acidum nitrosum modò dosibus fatis magnis detur, non solùm contra luem veneream, sed etiam febres, quae vulgo biliosae et putridae vocantur, plurimùm valere asserit.

Dyspepsiae signa infuso amaro cum tincturae corticis cinchonae, et colombae radice, pauxillo, tussis opio, laterisque dolor fotu, et enemati- bus emollientibus optimè mitigari solent.

Si

Si febris intermittens, aut dysenteriae, indicia morbo superaddantur, hinc etiam hydrargyro, cinchonae, aliisque roborantibus cedere solet.

Alvus, modò diarrhoea absit, parvulis cathartorum leniorum dosibus ante moveatur, quàm hydrargyrus administratur; et tamen adfit, astringentia tamen, nisi ventris proluvies tanta fuerit, et insigni debilitate periclitetur, dari non debent; ista quidem intestinorum levitas vestitu idoneo, indusio, praesertim laneo, et abdomine hydrargyro fricato, satis plerumque reprimitur. Si his non cedat, opii tinctura, et electuarium catechu, votis plerumque respondebunt.

Lenis gestationis exercitatio nunquam negligenda est, modò ab omni simul coeli intemperate, calore praesertim nimio, caeterisque causis occasionalibus sedulò caveatur, insigniter proficit. Quod si morbus his remediis non cedat; nullum aliud, quàm in coelum mite migratio, refugium superest; quod perito hydrargyri aliquamdiu omisso, et idoneis deinceps intervallis iterati, usu, votis saepe respondit.

F I N I S.